

Disputatio Philosophica

DE MUNDO

QVAM AD
PROMERENDAM
DOCTORATVS PHILOSOPHI-
CI LAVREAM DIE IVLII
discutiendam proponit erudi-
tus Dominus

POMPEIVS CORONINVS GORITIEN-
sis, art: lib: & philos: Baccalaureus.


PRÆSIDE

R. P. GVILIELMO LA-
MORMAINI E SOCIETATE IESV
Philosophia Magistro & Professore
Ordinario.

GRÆCII STYRIÆ,

Excudebat Georgius Widmanstadius.

M. D. C. IV.



SERENISSI-
MO, POTENTISSIMO-
QUE PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO FERDINANDO ARCHI-
DVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVN-
DIAE, STYRIAE, CARTHINIAE, CARNIOLAE, &c.
COMITI TYROLIS, GORITIAE, &c.
DOMINO SVO CLEMEN-
TISSIMO.

Felicitatem perpetuam.

DO SVNT, PRINCEPS Serenissime, quorum alterum prouincias stabiles, florentes, & beatas efficere; alterum easdem labefactare, exhaustire, & funditus euertere solet; exercitum, & otium. Ut enim à Roma mundi vertice ordiar; quid eam ex humilibus Euandri tugurijs in tantam amplitudinem euexit, vt terrarum dominos Reges auxilium exposcentes, supplicantes, & Capitolium oculis in terram abiectis ascendentibus videret? nempe Romuli, Scipionum, Cæsarum, & reliquorum Romanæ ciuitatis procerum industria. Hæc eadem Macedonum exercitum per latos Persarum fines, Indiae Phasiacæ solitudines, & Oceani tumentes fluctus victorem duxit. Ut nihil attineat de priscorum Persarum ritu dicere, quos Xenophon singulas ætates in certas classes

A 2 di-

distribuisse memorat; sic ut pueri decidendis quæstiunculis operam darent, iuuenes à Regis latere, quoad per eius voluntatem liceret, nunquam discederent, viri in bellando, senes in administrando suam prudenter ostentarent: quibus artibus ad quantam peruerterint potentiam, Darij innumeræ phalanges, & inexplicabiles thesauri manifestant. Sed ut priscis illis industria potentiam, ita eorum nepotibus potentia luxum, luxus inertiam, inertia perniciem peperit. Vbi enim dominatur otium, irreputant paullatim voluptates, blandissimæ dominæ, quæ fortes effeminant animos, incident virtutis neruos, impediunt consilium, & si maiores longinquioresque fuerint, omne animi lumen extingunt. Habantur manu strenui, & bello inuicti Lydiæ accolæ; verùm illicò ac manda-to Cyri cauponij, lenocinijs, & ludicris artibus animū applicuèrunt; pristinæ virtutis oblitis nihil altum, nihil sublime, nihil se dignum gerere in mentem venit. Hannibalem, quem non Saguntinorum inuictus animus, non montanorum in alpium angustijs fraudes, non selecti Romanae pubis exercitus mouerant, Campanæ deliciæ labefactarunt, fregerunt, profligauerunt. Difficile foret exitum inuenire, si mala, quæ ex otio tanquam ex primo fonte semper pullularunt, & hodierna die etiamnum pullulant, recensere vellem. Hinc enim lites & dissidia inter suos, hinc clandestina cum hostibus colloquia, hinc patriæ prodiciones, hinc rerumpublicarum euerstiones enascuntur: vt non venustè magis quam verè catullus, *Otium reges simul, & beatas perdidit urbes.* Cui malo vnum remedium est exercitium à primis annis susceptum. Duæ porrò sunt artes, quas & veteres sapientes laudarunt, & recentes

centes approbat, quęq; vtilitate, iucunditate, dignitate
inter cæteras eminent; bellandi peritia, & litterarum
cultura: quarum illa sustinet ingruentium impetus
hostium, cohibet ferociam, retundit audaciam; hæc
emollit animos nec sinit esse feros, illuminat intelle-
ctum, suppeditat consilium, & vt pacis, ita belli tem-
pore fructum affert vberimum. Atque utinam ijs
studijs tenacius adhærescerent nostrę ætatis homines;
non tantopere peruersæ calumniatorum linguae ob-
streperent Religioni, longius à finibus se inhiberent
hostes, parcus litigantium turba superioribus nego-
tium facesseret. Sed fit vt interdum claudicet illud:
Regis ad exemplum totus componitur orbis. Habent Sty-
ri, Carinthi, Carnioli, Goritienses lucidissimum spe-
culum, habent exemplum rarum, quod magno partiæ
commodo imitantur: te, inquam, Princeps serenissi-
mè, qui musarum lacte nutritus & in earum gremio
educatus eam in iuuenili ætate comparasti doctrinam,
quam multi ad extremam senectutem nequeunt adipisci:
equitando verò iaculando, hastis concurrendo
(quæ sunt quædam Martis simulacra) te omnium fa-
cile principem esse, qui spectacula toties edita inspe-
xit, non ibit infitias. Illi tamen licet habeant exem-
plum ante oculos positum, nescio quo pressi lethar-
go torporem & inertiam magis sectantur. Quod de
plerisque duntaxat dictum volo: inueniuntur enim
qui hanc pulcherrimam ideam contemplati conentur
adumbrare. inter quos si non primum, certè nec po-
stremum locum obtinet Coroninorum familia: quam
ob eximiā in bello nauatam operam multis ab hinc
annis pristinæ nobilitatis, quæ temporum iniuria ali-
quantulum interciderat, honore decorasti, & in hanc

diem ad munera & dignitates euehens , efficis ut viuere , & mori debeat ingrata. Ingrata, inquam , si ad il-
lud attendas: *Qui referre graiam debet, nunquam con-*
sequitur nisi praecepsit; sin candorem animi, memoriam,
desiderium inseruendi Serenitati tuæ ponderes, gra-
tissimam dixeris. Ego equidem, ut de me quod res est
fatear , nihil vñquam habui antiquius quam tanti
Mœcenatis gratiæ aliquo seruitio respondere: cum-
que nulla videretur ad id via magis compendiaria
quam litterarum cognitio, ad humaniora me pri-
mùm studia, tūm ad philosophiam totum contuli; ex
qua, post triennales exantlatos labores, selegi qua-
dam theorematæ defendenda, eaque splendori no-
minis tui dedicaui, pignus & monumentum obser-
uantiaræ in te meæ; quod licet per se exiguum, cum tua
amplitudine collatum nullum : pro virium tamen
mearum, quæ maiora nequeunt adhuc præstare, ma-
ximum est iudicandum. Hoc si feceris, & primitias
meorum studiorum serenissima illa fronte, qua cælum
inclarescit, exceperis, ad reliqua studia currenti calcar
addes. Vale.

Serenitatis tuæ

Humillimus seruus

Pompeius Coroninus.

DE

DE M V N D O.

THEISIS I.

VINQVE POTISSIMVM
videntur ea, quibus Mundi nomen.
sapientia alumni tribuere: nam &
Mundum Archetypum, & Angelicu-
cum, & Elementarem, & Magnum,
& Paruum, in sapientum monumen-
tis legimus: quos singulos si breuiter
perstrinxerimus, nihil alienum a Philosophia nos facturos
existimamus, quam ad rerum omnium naturas & affe-
ctus pro humani ingenii mediocritate, scrutando, excogita-
runt erudiri. Nihil enim datur usquam, quod non ad ali-
quem horum mundorum spectet.

II.

Et quidem, ut à fine ordiamur, Mundus parvus,
Grecis μικρός μοι, est Homo, sic diuersus quod ex omni-
um naturarum concentu atq; consensu videatur esse con-
flatus, ob expressam rerum omnium sibi inditam imagi-
nem. Nam & elementorum virtutes in se cohibet, &
vegetatur cum plantis, & sentit cum bruis, & perennem ca-
li motum irrequieta animi motione exprimit, & intelli-
gentiarum emulatur acumen, quodq; caput est, Diuinitatis
effigiem represe[n]iat.

III.

Duabus constat partibus, materia prima & anima
rationali connexis. Illam describit Philosophus, subiectum
primum unius cuiusq;, ex quo fit aliquid, cum insit, &
si corrumpatur in hoc abibit ultimum: hac est id, quo viui-
mus, sentimus, mouemur, & intelligimus primo.

Partes

III.

Partes humani corporis aliae sunt eiusdem, aliae diversa nature ac appellationis, aliae ad integratatem, caput thorax &c; aliae ad utilitatem, capilli &c. aliae denique ad ornamentum sunt tributa; talis est barba, que genas aliqua ex parte cum mento inferiore vestiens virilem exornatatem.

V.

Vitam, primam anima functionem, definit Philosophus permanentem anima cum calore, quemadmodum huic oppositam mortem extinctionem nativi caloris: illa licet natura bonitate, cali soliq. clementia, & arte medica diutius prorogari possit, nulla tamen industria humana potest perennari.

VI.

Quare data est potentia generativa, qua se individua in sua specie saltē conservarent. Generatio est mutatio rotinū in toto nullo sensibili remanente ut subiecto eodem.

VII.

Et quia fetus in primo ortu non eam habet magnitudinem, qua ad connaturales operationes exercendas requiritur: addita est potentia auxtrix, qua illum perficeret, & cuius auxtrix Achates est, nutritiva, qua delapsa pars resarciret, & nouos ac nonos successos suppeditaret, quo calor in humidum primigenium parcus ageret.

VIII.

Ne statim temporibus pabulum negligeremus, indidit nobis natura parens famem, quam calidi & siccii, & suum, quam frigidi & humidi appetitum definit Philosophus.

IX.

Proximum hominis alimentum est solus sanguis,
qui

qui potissimum ab hepate ducit originem, perficitur autem in venacava, qua unum arteriali a dextro cordis ventriculo ortum trahit.

X.

Sensum, alteram anima vim diuidit Philosophus in internum & externum; obiectum sensus externi aliud est per se, idq; vel proprium vel commune, aliud per accidens.

XI.

Per se est, quod reuera attingitur à potentia sentiente; proprium quod unicum, commune quod plures sensus externos per se idoneum sit immutare: per accidens, quod accidit ei, quod per se est sensibile.

XII.

Sensio est actus vitalis immediate ab anima ut causa à sensu ut instrumento principe elicitus, in eaq; cum suo formalitermino receptus.

XIII.

Licet sensus circa sensibilia communia sapientia decipiantur: falluntur nihilominus interdum, etiam circa propria, si vel ex organi, vel medijs vel distantie parte sit aliquis defectus.

XIII E

Species intentionalis sensibilis est qualitas perfecta, ab obiecto externo in potentia producta, ut per eam, ceterum instrumentum secundarium determinetur ad sensu- nem elicendam.

XV.

Sensus exteriores recte quinque ponuntur à Philosopho, rationes tamen quibus & ille & alij conantur ostendere non posse dari plures speciosa magis sunt quam efficaces.

XVI.

Visus inter omnes sensus nobilissimi obiectum sunt colores, & lumen; auditus, cui secundas tribuerim, sonus; odor olfactus; sapor gustus, tactus prece sumpti praeipue prima qualitates.

XVII.

Viso sit in humore crystallino receptis ab obiecto speciebus; auditio in ipso tympano, vel, quod magis arridet, in aere connaturali. Odoratus residet in tuberculis mammariis; gustatus subiectatur in lingua, cuius anterior pars esculenta, posterior poculenta maxime discernit; tactus omnibus inest partibus, si ossa & alias id genus partes valde terreas excipias.

XVIII.

Color (verus) est qualitas a luce & lumine distincta, in intimis etiam mixti partibus recepta. definitur in ordine ad visionem motuum perspicui in actu. Extremi sunt albedo & ingredo, ceteri medijs, specie tamen ab extremis distincti, si sint naturales.

XIX.

Ut fiat visus medium obiecto proximum illuminatum sit oportet. Lumen est actus perspicui quia perspicuum est; nec lux naturalis unius lucidi ab alterius diversam sortitur essentiam.

XX.

Sonus est qualitas a corporibus sonatiis in instanti, quantum ad se attinet, producibilis. Interdum secundum esse, interdum secundum speciem ad auditum defertur. Huius species vox solis nec tamen omnibus competit animalibus, definitur percussio aëris respiratione in pulmones attracti facta ab anima cum imaginatione aliquid significandi.

Odor

XXI.

Odo rезультает в мештис corporibus ex primarum qualitatibus concretione dominante siccitate calore humidum decoquente; plerumque diffunditur et re odorata per substantiam fumeam, et extra substantiam fumeam secundum esse intentionale. Homo agrius percipit odorem ab cerebri amplitudinem.

XXII.

Sapor est affectio in humido aquo facta a siccо terrestri et calore decoquente gustatum, qui in potentia est, ad actum per alterationem deducens. Extremos facit Plato Ponticum et acutum, melius Aristoteles dulcem et amarum.

XXIII.

Somnus est ligatio sensuum omnium externorum, ad animantium quietem et salutem instituta, vigilia vel omnium vel aliquorum solutio, somnium est apparitio exhibita per internum sensum in ijs, qui somno consopiti sunt.

XXIII.

Per placet dñis oī somni facta ab autore libri de spiritu et anima in Oraculum, cum granis aliqua persona vel DEVIS euenturum aliquid aperte, vel non euenturum, faciendum vel evitandum denunciat: Visum, cum id quod viderat aliquis modo, quo apparuerat, evenit: Somnium, cum sub enigmate aliquid apparet; In somnium cum id, quod fatigarat vigilantem ingerit se dormienti: Phantasma quando quis dormire caput et adhuc vigilare se amat, aspicere videtur irruentes in se vel passim vagantes formas, latae aut turbulentas.

XXV.

Phantasia, imaginativa, memorativa, estimativa

B 2 re sunt.

re sunt unus sensus internus ratione solum plures. Hic in toto cerebro subiectatur, species tamen memorativa seruantes in cellula cerebelli (quod in occipite situm duplice mente a cerebro seiungitur) afferuari auguramur.

XXVI.

Motum subtiliter appellat Philosophus actum entis in potentia prout est in potentia: in homine alius est naturalis, alius voluntarius, in ordine ad quem addita est illa particula in definitione anima.

XXVII.

Respiratio fit per narium foramina primo, tum per arteriam vocalem interveniente diaphragmate aer ad pulmones attrahitur, pulmones idonee preparatum effundunt in cor, ubi calefactus mox cum fumosis spiritum excrementis expellitur. Respirationis finis est refrigeratio cordis, & conservatio natui caloris. motus est parum naturalis partim voluntarius.

XXVIII.

In corde diastrolem recta fibra mucronem versus basim contrahentes, systolem transversa, quoties rectis laxatis impensis arctantur, quietem obliqua efficiunt, finis est ut dilatatione aereum in pulmone preparatum adhauriat, & sanguinem e vena caua, contractione vero materiam fuliginosam exprimat. Hic motus nec in voluntate, nec in cerebri nervis ut progressivus situs est.

XXIX.

Arteriarum (que simul cum corde dilatantur & contrahuntur) dilatatio nec sit a sola spirituum in arterias expressione, nec a calore humoris in arteria contenti, verum etiam a vi motu, que ipsi arteriarum substantia inest, queque a cordis pender influxu.

Loco

XXX.

Loco motuum non exerceri, sine actuali usu potentiarum cognoscitina & appetitiva ex his sit manifestum: data enim est ad conquirenda salutaria, declinanda noxia.

XXXI.

Appetitus est alius innatus, & is, vel proprius, vel metaphoricus, alius elicitus, & is, vel sensitivus, quem prout interni sensus cognitio, vel intellectivus, qui intellectus notium sequitur, diciturq; voluntas.

XXXII.

Peculiares anima rationalis potentiae sunt intellectus, memoria rationalis, & voluntas, quas ab anima vel inter se realiter distingui nulla conuincit ratio. Cum anima etiam in statu separationis possit has facultates exercere, colligimus eam citra miraculum existere separatam.

XXXIII.

Cognoscit DEV M, intelligentias, sc, suos actus & habitus, res materia concretas & molis experies, singularia & univeralia, plura ut plura, concurrentibus adhuc speciebus intelligibilibus, quas etiam ex hac rerum terrenarum tetragine educta conservat.

XXXIII.

Vulgata est intellectorum in apprehensionem, iudicium & ratiocinationum divisione, ad quas sine errore eliciendas inuenta est Logica, que regulas recte differendi, definiendi & dividendi tradit.

XXXV.

Spatia vita, quibus corpus humanum notabilem ab intrinseco subit varietatem caloris & humoris. Philosophus triplicem facit, pueritiam calido & humido affuentem, floridam etatem calido & humido apprimè temperantem,

B 3 tam,

tam, & senectutem calido & humido adeo destitutam, ut respectu superiorum atatum frigida & secca dicatur.

XXXVI.

Felicitas, hominis finis, dicitur operatio anime secundum virtutem in vita perfecta. quæ definitio licet non minus contemplativa quam practica conuenire possit, eam tamen philosophus de sola practica protulit.

XXXVII.

Cum rationale dicatur vel quod absolute sit tale vel quod paret rationi: duplex etiam exurgit virtus intellectiva una, altera moralis. Et hac est habitus electius in mediocritate quantum ad nos consistens, qua quidem mediocritas ratione præsinuia sit atque ita ut prudens præsiniret.

XXXVIII.

Mundus magnus quod propriæ uniuersum nuncupatur in libro de Mundo dicitar Compages è Cale, terræ, coagmentata atque ex ijs naturis, que intra ea continentur, sive, Ordo & digestio uniuersorum, que a DEO & per DEVUM assermantur. Huius perfectionem argunt. absolutio singularium rerum, naturarum varietas, & partum tum inter se, tum ad primum fontem DEVUM Opt: Max: scitissimus ordo.

XXXIX.

Etsi entibus, que uniuersi capacitate continentur, gradus communis dari nequeat, praescindens ab inferioribus; datur nihilominus conceptus formalis, dilucide essentiam representans, in confuso vero etiam omnium inferiorum differentias. Quod huic obijcitur ratione DEI & creaturarum est analogum propria proportionis & attributionis, ratione substantiae & accidentis creati solum propria proportionis.

Paflio-

XL.

Passiones entis unum, verum, bonum, &c. nec sunt negationes, nec relationes rationis, nec aliud quidpiam, de quo illa ratio obiectiva dici nequaat, nisi superaddant, sed solum expresse dicunt aliquid, quid cum communione entis conuertantur, nec tamen de eius sit essentia.

XL I.

Ens aliud est universale unum aptum inesse multis non aequinoce, cuiusmodi sunt genus, differentia, species, proprium & accidens: aliud singulare per realem differentiationem a natura sola ratione distinctam, haecentatem vocant.

XL II.

Universam entium creatorum multitudinem exhausti quendam series a philosophis assignata: substantia, que est ratio entis in ratione naturae completa, cui debetur subsistencia; quantitas, que postulat natura sua extendi in ordine ad locum; relatio, cuius totum esse in concreto est esse ad aliud; qualitas, secundum quam proprie quales dicimus; actio, qua est exercitum potentia activa, & ei identificata passio; ubi modus realis & absolutus, per quem res dicuntur esse alicubi quando; cuius suprema ratio est permanentia rei in esse accepto.

XL III.

Mundus elementaris est, qui constatur e quatuor elementis & corpore caelesti, quorum hoc incorruptibile, illa omnia fixa & caduca, acceperunt esse in tempore ab auctore naturae.

XL IV.

Celum est corpus simplex conflatum tamen ex materia & forma, pluribus constat orbibus inter se essentialiter distinctis, quorum singuli peculiaria habent a se, mo-
uentur

uentur ab intelligentijs, motu praternaturali, & per occultas qualitates influnt in inferiora.

XLV.

Elementum est id, in quod cetera corpora dividuntur, ipsum autem est indivisibile in diversa secundum speciem. Huiusmodi dantur quatuor; terra, secca & frigida; aqua, frigida & humida; aer, humidus & calidus, cuius tres sunt regiones, in quibus meteora gignuntur; ignis deniq; calidus & siccus. Quae qualitates sunt omnes actina, una tamen altera magis.

XLVI.

Quodlibet elementum ex quolibet potest produci, facilius tamen ex symbolico: in propriis locis neque gravitant neq; levitant: continentur in mixto virtute solum.

XLVII.

Angelicus mundus est, qui ex mentium creatarum, completarum, nulli materie immersarum ordinibus conficitur: quas non male Plato in caelestis, subcaelestis & supercaelestis distribuit.

XLVIII.

Caellestes intelligentie rerum omnium naturas & species in pulcherrima divina mentis effigie contemplate, easdem in sublunaribus per sphaerarum circumrotationes efficere moluntur: subcaelestes eundem bonorum fontem maxime sui diffusuum cernentes, prouinciarum & singulorum hominum bono consulere, dirigere actiones, auertere incomoda, commoda procurare studunt: supercaelestes tota in fontem gratiarum & diuinitatis lucem desixa, ardentissime eius inflammantur amore & quodammodo extra se feruntur: sic ut omnium studium sit in create & prima causa similitudinem ad ipsi.

Sunt

Sunt indivisi biles, immortales, definiti in loco licet nihil operentur, circumscripti ne nusquam, occupant prolibitum locum maiorem ac maiorem quantum cuiusque perfectio fert, durant aevum, possunt sibi formare corpora, applicando actione passiuas ciere pluias, grandines, tempestates.

L.

Rerum & temporum certa lege meantium vicissitudines, ordo causarum, uniuersi concinna dispositio, instinctus omnibus innatus hominibus satis arguant dari aliquem Principem increatum et immensum, a quo per quae, & in quo sint omnia: cui antiquitas DEI nomen tribuit, sine quod ille sese humanis mentibus insinuans inderet quendam terrorem ut a flagitijs auocarentur, sine quod in omnes diffuso partes nullum scius, nullum bene factum, nulla actio clam esse posset. Hunc sapientia studioi Mundū Archetypum appellauere, quod in eo tanquam in sereno speculo caterarum omnium rerum exhibeantur imagines. Ille erat, de quo scie Boetius. Cuncta superno ducit ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse Mundum mente gerens, similiq; in imagine formans, perfectaque iubens perfectum absoluere partes. Et id libere, nec enim externa populerunt singere causa Materie fluitantis opus: verum in sua summa forma boni linore carens, ut idem canit Boetius. Est unicus, ens a se, & necessarium, expers omnis compositionis, immutabilis, durat aeternitate, qua est interminabilis vita tota simul & perfecta possessio, concurrit ad omnes creaturarū actiones, clare visus necessario quo ad exercitium amat, finis est uniuersorum & prasertim Hominis, quem tot cumulatum ornamenti condidit ad sui similitudinem, ut se solum ultimata contemplaretur, coleret, adoraret.

*AD D. POMPEIVM CO-
RONINVM THESIVM DE-
fensorem.*

Non tibi, Pompei, magnum Fortuna secunda
Nomen, sed tribuit cœlica ab arce D E V S.
Hunc magnum fecit Romanis Bellica virtus,
Sed te maiorem Dia Minerua facit.
Felix ille fuit, sed tu felicior; illum
Fama hominum celebrat, te pia turba D E V M.

R. D. Joannes Stephanius.

E I D E M.

Nobilitas alios, alios horrentia Martis
Arma iuuant, alios dona superba Tagi:
At tu, quem Pallas diuino fouit amore,
Quid capies? ecquid gloria fluxa placet?
Non ita: sed lethi quam nescia Musa parauit,
Hanc sequar: illa homini conuenit, ista D E O.

*Martinus Dobrounitius,
Philosophia Baocalaurens.*

AD EVNDEM.

Prō mortale genus! cælos nouisse, solumque,
Aëreasque plagas & freta vasta parum est?

Vis

Viste æquare D E O ? D E V S haud tot condidit orbes,
Ingenij condit quot tuus arte labor.
Quinque facis Mundos ! tantum non miror acumen ;
Non hîc ingenium sed stupor orbis adeſt.

*Illustris Ioannes Alexius
à Rabatta.*

AD EVNDEM.

ASpera tentasti, duros virtute labores
Vicisti, tandem præmia digna capis.
Quæ nec liuor edax, nec edax exhaustiat æuum
Verba, vel æterno digna Platone, seris.
Sic bene semper eas, hoc tramite currere perge:
Hic est mortales qui facit esse D E O S.

*Ioannes de Permaj Solnen-
sis, Nobilis Hungarus.*

*Laus D E o Virginij^s, Matri
M A R I A E.*



17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1

